

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

### I

#### *A Strange Dilemma*

(*Amphitruo*, ll. 336–462, 551–632)

[This play is founded on an old Greek legend. While Amphitruo was absent from Thebes on a campaign against the Teleboans, Juppiter disguised himself as Amphitruo and lived at Thebes as if he were the general himself. Mercury, to bear him company, assumed the form of Amphitruo's slave Sosia, and performed the menial offices appropriate to his novel station. Amphitruo, on his return from the war, sent Sosia in advance to announce his arrival to his wife Alcmena. When Sosia came to the entrance of the house, he found to his surprise another Sosia, in fact Mercury, walking up and down, and recounting to himself with relish the number of people he had injured and slain by his pugnacious proclivities. When Sosia persisted in his errand, his way was barred by his mysterious double. In the first of the scenes given here, Mercury accosts the dismayed Sosia, and tries to persuade him that he is not really Sosia, but another man, and in the second scene Sosia, half convinced, endeavours to explain the situation to his master.]

#### SCENE I

SOSIA      MERCURIUS

So. Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis  
 roget,  
 neque miser me commouere possum prae formidine.  
 ilicet: mandata eri perierunt una et Sosia.  
 uerum certumst confidenter hominem contra conloqui,  
 qui possim uideri huic fortis, a me ut apstineat manum.  
 ME. quo ambulas tu qui Volcanum in cornu conclusum  
 geris?

2

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

[I]

So. quid id exquiris tu qui pugnis os exossas hominibus?  
 ME. seruo'sne an liber? So. utquomque animo con-

libitum est meo.

ME. ain uero? So. aio enim uero. ME. uerbero.  
 So. mentire nunc.

10 ME. at iam faciam ut uerum dicas dicere. So. quid  
 eo est opus?

ME. possum scire quo profectus, quoius sis aut quid  
 ueneris?

So. huc eo. eri sum seruos. numquid nunc es certior?  
 ME. ego tibi istam hodie, scelesti, comprimam linguam.

So. hau potes:

bene pudiceque adseruatur. ME. pergin argutarier?

15 quid apud hasce aedis negoti est tibi? So. immo, quid  
 tibi est?

ME. rex Creo uigiles nocturnos singulos semper locat.

So. bene facit: quia nos eramus peregrini, tutatust domi;  
 at nunc abi sane, aduenisse familiaris dicito.

ME. nescio quam tu familiarissis: nisi actutum hinc abis,  
 20 familiaris, accipiere faxo hau familiariter.

So. hic, inquam, habito ego atque horunc seruos sum.  
 ME. at scin quo modo?

faciam ego hodie te superbū, nisi hinc abis. So. quo-  
 nam modo?

ME. auferere, non abibis, si ego fustum sumpsero.

So. quin me esse huius familiai familiarem praedico.

25 ME. uide sis quam mox uapulare uis, nisi actutum hinc  
 abis.

So. tun domo prohibere peregre me aduentem pos-  
 tulas?

ME. haecine tua domust? So. ita inquam. ME. quis  
 erus est igitur tibi?

So. Amphitruo, qui nunc praefectus Thebanis legio-  
 nibus,  
 quicum nupta est Alcumena. ME. quid ais? quid  
 nomen tibi est?

i]

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

3

- 30 So. Sosiam uocant Thebani, Dauo prognatum patre.  
 ME. ne tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis  
 aduenisti, audaciai columen, consutis dolis.  
 So. immo equidem tunicis consutis huc aduenio, non  
 dolis.  
 ME. at mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis uenis.  
 35 So. ita profecto. ME. nunc profecto uapula ob men-  
 dacium.  
 So. non edepol uolo profecto. ME. at pol profecto  
 ingratiai.  
 hoc quidem 'profecto' certum est, non est arbitrarium.  
 So. tuam fidem obsecro. ME. tun te audes Sosiam  
 esse dicere,  
 qui ego sum? So. perii. ME. parum etiam, praeut  
 futurum est, praedicas.  
 40 quoius nunc es? So. tuo', nam pugnis usu fecisti  
 tuom.  
 pro fidem, Thebani ciues! ME. etiam clamas, carn-  
 fex?  
 loquere, quid uenisti? So. ut esset quem tu pugnis  
 caederes.  
 ME. quoius es? So. Amphitruonis, inquam, Sosia.  
 ME. ergo istoc magis,  
 quia uaniloquo's, uapulabis: ego sum, non tu, Sosia.  
 45 So. ita di faciant, ut tu potius sis atque ego te ut  
 uerberem.  
 ME. etiam muttis? So. iam tacebo. ME. quis tibi  
 erust? So. quem tu uoles.  
 ME. quid igitur? qui nunc uocare? So. nemo nisi  
 quem iusseris.  
 ME. Amphitruonis te esse aiebas Sosiam. So. pec-  
 caueram,  
 nam Amphitruonis socium ne me esse uolui dicere.  
 50 ME. scibam equidem nullum esse nobis nisi me seruom  
 Sosiam.  
 fugit te ratio. So. utinam istuc pugni fecissent tui.

i-2

4

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

[I]

ME. ego sum Sosia ille quem tu dudum esse aiebas  
 mihi.  
 So. obsecro ut per pacem liceat te adloqui, ut ne  
 uapulem.  
 ME. immo indutiae parumper fiant, si quid uis loqui.  
 55 So. non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus  
 uales.  
 ME. dicio quid uis, non nocebo. So. tuae fide credo?  
 ME. meae.  
 So. quid si falles? ME. tum Mercurius Sosiae iratus  
 siet.  
 So. animum aduorte. nunc licet mi libere quiduis  
 loqui.  
 Amphitruonis ego sum seruos Sosia. ME. etiam denuo?  
 60 So. pacem feci, foedus feci. uera dico. ME. uapula.  
 So. ut lubet quid tibi lubet fac, quoniam pugnis plus  
 uales;  
 uerum, utut es facturus, hoc quidem hercle hau reticebo  
 tamen.  
 ME. tu me uiuos hodie nunquam facies quin sim Sosia.  
 So. certe edepol tu me alienabis nunquam quin noster  
 siem;  
 65 nec praesente nobis alias quisquamst seruos Sosia.  
 qui cum Amphitruone hinc una iueram in exercitum.  
 ME. hic homo sanus non est. So. quod mihi praedicas  
 uitium, id tibi est.  
 quid, malum, non sum ego seruos Amphitruonis Sosia?  
 nonne hac noctu nostra nauis huc ex portu Persico  
 70 uenit, quae me aduexit? non me huc erus misit meus?  
 nonne ego nunc sto ante aedis nostras? non mi est  
 lanterna in manu?  
 non loquor, non uigilo? nonne hic homo modo me  
 pugnis contudit?  
 fecit hercle, nam etiam mi misero nunc malae dolent.  
 quid igitur ego dubito, aut qur non intro eo in nostram  
 domum?

I]

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

5

- 75 ME. quid, domum uostram? So. ita enim uero.  
ME. quin quae dixisti modo  
omnia ementitu's: equidem Sosia Amphitruoni sum.  
nam noctu hac soluta est nauis nostra e portu Persico,  
et ubi Pterela rex regnauit oppidum expugnauimus,  
et legiones Teleboarum ui pugnando cepimus,  
80 et ipsus Amphitruo opruncauit regem Pterelam in  
proelio.  
So. egomet mihi non credo, quom illaec autumare  
illum audio;  
hic quidem certe quae illic sunt res gestae memorat  
memoriter.  
sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois est datum?  
ME. Pterela rex qui potitare solitus est patera aurea.  
85 So. elocutus est. ubi patera nunc est? ME. est in  
cistula;  
Amphitruonis opsignata signo est. So. signi dic quid  
est?  
ME. cum quadrigis Sol exoriens. quid me captas,  
carnufex?  
So. argumentis uicit, aliud nomen quaerundum est mihi.  
nescio unde haec hic spectauit. iam ego hunc decipiām  
probe;  
90 nam quod egomet solus feci, nec quisquam alias adfuit,  
in tabernaclo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.  
si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,  
quid in tabernaclo fecisti? uictus sum si dixeris.  
ME. cadus erat uini, inde impleui hirneam. So. in-  
gressust uiam.  
95 ME. eam ego, ut matre fuerat natum, uini eduxi meri.  
So. factumst illud, ut ego illic uini hirneam ebiberim  
meri.  
mira sunt nisi latuit intus illic in illac hirnea.  
ME. quid nunc? uincon argumentis te non esse Sosiam?  
So. tu negas med esse? ME. quid ego ni negem, qui  
egomet siem?

- 100 So. per Iouem iuro med esse neque me falsum dicere.  
 ME. at ego per Mercurium iuro tibi Iouem non credere;  
 nam iniurato scio plus credet mihi quam iurato tibi.  
 So. quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.  
 ME. ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia;  
 105 nunc, quando ego sum, uapulabis, ni hinc abis, ignobilis.  
 So. certe edepol, quom illum contempto et formam  
 cognosco meam,  
 quem ad modum ego sum (saepe in speculum inspexi),  
 nimi' similest mei;  
 itidem habet petasum ac uestitum; tam consimilest  
 atque ego;  
 sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum uel labra,  
 110 malae, mentum, barba, collus: totus. quid uerbis opust?  
 si tergum cicatricosum, nihil hoc similist similius.  
 sed quom cogito, equidem certo idem sum quis semper fui.  
 noui erum, noui aedis nostras; sane sapio et sentio.  
 non ego illi optempero quod loquitur. pultabo fores.  
 115 ME. quo agis te? So. domum. ME. quadrigas si  
 nunc inscendas Iouis  
 atque hinc fugias, ita uix poteris ecfugere infortunium.  
 So. nonne era meae nuntiare quod erus meu' iussit licet?  
 ME. tuae si quid uis nuntiare: hanc nostram adire non  
 sinam.  
 nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.  
 120 So. abeo potius. di inmortales, opsecro uostram fidem,  
 ubi ego perii? ubi immutatus sum? ubi ego formam  
 perdidii?  
 an egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?  
 nam hicquidem omnem imaginem meam, quae antehac  
 fuerat, possidet.  
 uiuo fit quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.  
 125 ibo ad portum atque haec uti sunt facta ero dicam meo;  
 nisi etiam is quoque me ignorabit; quod ille faxit Iupi-  
 ter,  
 ut ego hodie raso capite caluos capiam pilleum.

## SCENE II

AMPHITRUO SOSIA

- AM. Age i tu secundum. So. sequor, supsequor te.  
 AM. scelestissimum te arbitror. So. nam quamobrem?  
 AM. quia id quod neque est neque fuit neque futurum  
     est  
     mihi praedicas. So. eccere iam tuatim  
 5 facis, ut tuis nulla apud te fides sit.  
 AM. quid est? quo modo? iam quidem hercle ego tibi  
     istam  
     scelestam, scelus, linguam apscidam. So. tuos sum,  
     proinde ut commodumst et lubet quidque facias;  
     tamen quin loquar haec uti facta sunt hic,  
 10 nunquam ullo modo me potes deterrere.  
 AM. scelestissime, audes mihi praedicare id,  
     domi te esse nunc qui hic ades? So. uera dico.  
 AM. malum quod tibi di dabunt, atque ego hodie  
     dabo. So. istuc tibist in manu, nam tuos sum.  
 15 AM. tun me, uerbero, audes erum ludificari?  
     tune id dicere audes, quod nemo unquam homo  
     antehac  
     uidit, nec potest fieri, tempore uno  
     homo idem duobus locis ut simul sit?  
 So. profecto ut loquor res ita est. AM. Iuppiter te  
 20 perdat. So. quid mali sum, ere, tua ex re promeritus?  
 AM. rogasne, inprobe, etiam qui ludos facis me?  
 So. merito maledicas mihi, si id ita factum est.  
     uerum hau mentior, resque uti facta dico.  
     AM. homo hic ebrius est, ut opinor.  
 25     So. utinam ita essem. AM. optas quae facta.  
     So. egone? AM. tu istic. ubi bibisti?  
     So. nusquam equidem bibi. AM. quid hoc sit  
     hominis? So. equidem deciens dixi:  
     domi ego sum, inquam, ecquid audis?

8

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

[I]

- 30      et apud te adsum Sosia idem.  
 satin hoc plane, satin diserte,  
 ere, nunc uideor  
 tibi locutus esse? Am. uah,  
 apage te a me. So. quid est negoti?  
 35      Am. pestis te tenet. So. nam qur istuc  
 dicis? equidem ualeo et saluos  
 sum recte, Amphitruo. Am. at te ego faciam  
 hodie proinde ac meritus es,  
 ut minu' ualeas et miser sis,  
 40      saluo' domum si rediero: iam  
 sequere sis, erum qui ludificas  
 dictis delirantibus,  
 qui quoniam eru' quod imperauit neglexisti persecui,  
 nunc uenis etiam ultro inrisum dominum: quae neque  
 fieri  
 45      possunt neque fando umquam accepit quisquam pro-  
 fers, carnufex;  
 quoius ego hodie in tergum istaec faxo expertant men-  
 dacia.  
 So. Amphitruo, miserruma istaec miseria est seruobono,  
 apud erum qui uera loquitur, si id ui uerum uincitur.  
 Am. quo id, malum, pacto potest nam (mecum argu-  
 mentis puta)  
 50      fieri, nunc uti tu et hic sis et domi? id dici uolo.  
 So. sum profecto et hic et illic. hoc quoius mirari licet.  
 neque tibi istuc mirum mirum magi' uidetur quam  
 mihi.  
 Am. quo modo? So. nihilo, inquam, mirum magi' tibi  
 istuc quam mihi;  
 neque, ita me di ament, credebam primo mihi met  
 Sosiae,  
 55      donec Sosia illic egomet fecit sibi uti crederem.  
 ordine omne, uti quidque actum est, dum apud hostis  
 sedimus,  
 edissertauit. tum formam una apstulit cum nomine.

1]

## SELECTIONS FROM PLAUTUS

9

neque lact' lactis magis est simile quam ille ego similest  
mei.  
nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti  
domum—  
60 AM. quid igitur? So. priu' multo ante aedis stabam  
quam illo adueneram.  
AM. quas, malum, nugas? satin tu sanus es? So. sic  
sum ut uides.  
AM. huic homini nescioquid est mali mala obiectum  
manu,  
postquam a me abiit. So. fateor, nam sum optusus  
pugnis pessume.  
AM. quis te uerberauit? So. egomet memet, qui nunc  
sum domi.  
65 AM. caue quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.  
omnium primum iste qui sit Sosia, hoc dici uolo.  
So. tuos est seruos. AM. mihi quidem uno te plus  
etiam est quam uolo,  
neque postquam sum natus habui nisi te seruom Sosiam.  
So. at ego nunc, Amphitruo, dico: Sosiam seruom  
tuom  
70 praeter me alterum, inquam, adueniens faciam ut  
offendas domi,  
Dauo prognatum patre eodem quo ego sum, forma,  
aetate item  
qua ego sum. quid opust uerbis? geminus Sosia hic  
factust tibi.  
AM. nimia memoras mira. sed uidistin uxorem meam?  
So. quin intro ire in aedis nunquam licitum est. AM.  
quis te prohibuit?  
75 So. Sosia ille quem iam dudum dico, is qui me contudit.  
AM. quis istic Sosia est? So. ego, inquam. quotiens  
dicendum est tibi?  
AM. sed quid ais? num obdormiuisti dudum? So. nus-  
quam gentium.

10            SELECTIONS FROM PLAUTUS            [I]

AM. ibi forte istum si uidisses quendam in somnis  
 Sosiam.

So. non soleo ego somniculose eri imperia persequi.

80 uigilans uidi, uigilans nunc ut uideo, uigilans fabulor,  
 uigilantem ille me iam dudum uigilans pugnis contudit.

AM. quis homo? So. Sosia, inquam ego ille. quaeso,  
 nonne intellegis?

AM. qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita  
 nugas blatis.

So. uerum actutum nosces, quom illum nosces seruom  
 Sosiam.

85 AM. sequere hac igitur me, nam mi istuc primum ex-  
 quisito est opus.

sed uide ex naui ecferantur quae imperauit iam omnia.

So. et memor sum et diligens, ut quae imperes com-  
 pareant;

non ego cum uino simitu ebibi imperium tuom.

AM. utinam di faxint infecta dicta re eueniant tua.

## II

### *The Haunted House*

(*Mostellaria*, 431–531)

[Philolaches, a young citizen of Athens, was one day engaged at home in revels with a merry company of friends, when the slave Tranio announced the unexpected return from abroad of Theopropides, the young man's father, of whose prolonged absence they had all taken conspicuous advantage. In order to save his master in this difficult situation, the ingenious slave directed the party to close all the doors and windows of the house, thus making it appear uninhabited, and to remain quiet within, while he received the old man outside, and scared him summarily and permanently off the premises by telling him that his son had left the house because it was haunted. The execution of this little plot is related in the following scene.]